



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Propositio Per Reverendvm Et Insigne Capitvlum,
uniuersumq[ue] Clerum: Necnon alma[m] Vniuersitatem
generalis Studij inclytae Ciuitatis Agrippinae Coloniae,
pronunciata & exhibita Venerabili Clero ...**

Gropper, Johann

Coloniae, M.D.XLIIII.

VD16 K 1792

urn:nbn:de:hbz:466:1-34989



Th. 1440 a.

1. Caroli V edictum ꝛ. novatores. Worms 1521
2. —"— lapsus ve dñi Cöluam dno
Jud. Kol. Linnig zu blauen C. 1544,
3. Optimum decessum dñi Capituli ꝛ. C. 1544.
4. Dispallu manuscul dñi fuy buspat, dñi
Judiculus ubiq. justia, mit
dñon aukturant.
5. Appellatio Coloniensium in @ Relig. 44
6. dñi Capituli ve dñi fuy buspat. 25 Oct. 44,
7. Citatio Imperatoris ꝛ. Archiep. Col. 45
8. Appellatio Archiepiscopi.
9. Citatio Curie Rom. ꝛ. Archiep.
10. Responsio cleri Col ꝛ. appel. Archiep.
11. Caroli V. Dispallu dñi fuy buspat.
12. Jo Cochleus ad Caput. col. 1. Aug 45.
13. Herrn Archiep. ad Wormatienses
14. idem ad Imp. Carolum V.
14. Cochleus pro Roffensi et Thoma
Moro
15. Capituli zu C ve dñi dñi dñi dñi dñi
8 Aug 45
16. Dispallu ve dñi dñi dñi dñi dñi
17 Nov 45

die alte Nummerierung ist falsch.

Insgesamt 30 Stücke

H. Meißner, Bonn

April 1857

17. Act. Decapitalis C. protestant
contra dno Anton Ludlow, 7 Dec. 45

18. Sententia Nuntii ap. pro
Capitulo V. Decanum.

19. Testificatio dno dno malhijm
Thoma seu dno Decapitali
und dno dno Aralman.

*libellat fehl
mit Holzdruck rde*

*No. 5. n. glen
den Impression*

**PROPOSITIO PER REVERENDVM ET
insigne Capitulum Ecclesie Metropolitanæ, cunctumq; reliquū Cle-
rum, necnon Magnificum Dñm Rectorem, & almā Vniuersita-
tem generalis Studij Ciuitatis Colonienfis, erga Venerabi-
lem Clerum Diocesānum, octauo Nouembris facta.**



*T*uos Reuerendi Patres Abbates, uosq; uenerādi dominē
Decani tam Collegiales, q̄ Rurales, cateriq; qui Eccle-
siarum, Monasteriorum, & piorum locorū per Dioecesim
extra ciuitatem Colonien. constitutorum nomine, presentes
adesitis, causam uocationis uestræ ad præsentem diem & loa-
cum intelligatis, rem breuibus accipite.

Biennium nunc agitur, quod inter Reuerendiſſ. in Christo Patrem &
dominum nostrum, dominum Hermannum, sanctæ Colonienſis Ecclesie
Archiepiscopum, Principem Electorem &c. dominum nostrum gratio-
siſſimum ex una, & inter nos ex alia partibus, nõ leuis diſſenſionis materia,
hinc primum suborta eſt, quod Celſitudo ſua Reuerendiſſ. Martinū Buce-
rum, Catholica Ecclesie deſertorem, alioſque ſimilis farine homines, in
hanc Dioceſim acciuit, atque etiam uerbi ministerio, & Eccleſiaſtica
adminiſtrationi, nobis fortiter reclamantibus, ordinariſſque Parochiſ, et
Eccleſiarum Curatiſ inuitiſ, præficiendos duxit. Qui quo minus quales eſ-
ſent ignoraretur, æditis quoque ſcriptiſ teſtati ſunt, quã minime catholicã,
pacificã, et modeſtã doctrinã profiteretur, ut inter cætera indicat, libellus
Buceri, qui inſcribitur: Was in namen des heiligen Euangelij je-
zundt zu Bon im Stiff Coln gepredigt wirdt. Contra quem Iu-
ditium Cleri & Vniuerſitatis æditum eſt. Et alter libellus ſub nomine Io-
annis Meynertzhagen pſeudoeccleſiaſtæ apud Bonnam euulgatus, præfe-
rens titulum: Des Chriſtlichen Bùrgers handtbüchlin etc. Qui qd
doceat, Elenchus impietatum, & blaſphemiarum, ſeditioſorumque dogma-
tum inde excerptorum, quem prælegi uobis iubemus, ſatiſ oſtendit.

Deinde diſſenſionem auxit, quod idem Reuerendiſſ. dominus noſter hiſ
non contentus, quendam præterea librum, ueluti ſuum & a ſe meditatum,
tametſi per memoratos uiros deſertores compositum, ænciſ typiſ excudi, im-
preſſumque ſuo nomine & inſigniſ Episcopaliſ prepoſitiſ, ſpargi, atque
adeo publicari fecit, hanc inſcriptionem habentem: Von Gottes gnadē

ij

vnfers Hermans Erzbischoffs zu Cöln vnd Churfursten ein-
faltigs bedencken/waruff ein Christliche in dem wort Gots ge-
gründte Reformation/bey denen so vnser Seelsorge besolhē/
anzürichten sey/ etc. *Librū quidē eisdē pene per oīa uitijs, quibus super-
iores (hoc est erroribus suorū autorū, qui ipsum cōgesserūt) undiq; scaten-
tem. Quemadmodum ex nostro Catholico Antididagmate, germanice ins-
cripto: Vnser Christlicher vnd Catholischer Gegenbericht.
liquido uidere est.*

*Cum itaque nostri officij fore simus arbitrati, modis omnibus prospice-
re & cauere, ne hæc sancta & insignis Ecclesia & Diocesis Colonensis
(quæ Catholicam fidem & Religionem a uiris apostolicis prædicatam et
acceptam, & continua Episcoporum successione, quasi per manus traditā
in hæc usque tempora illabefactam seruauit) ulla labe impuriore doctrinæ
aspergatur, seu in exitiale schisma deuergat, memoratum Reuerendiss.
dominum nostrum creberrime, cum priuatim tū publice sumus obtestati. Pri-
mum ut improbatos illos Cōcionatores, duersus Apostolicos, Ecclesiasti-
cosque Canones accersitos, & Ecclesijs in ordinariorum Parochorum in-
iuriam admotos & impositos, remoueret. Deinde ut & librum illum suum
obtentæ Reformationis supprimeret. Offerentes interim nos uel Reforma-
tionem Reuerendiss. suæ Celsitudinis, superioribus annis in Cōcilio Pro-
uinciali æditam, uel aliam (quæ tamen canonicè & legitime ad regulā Ec-
clesiasticam conciliariter institueretur) libenter accepturos.*

*Dū hæc agimus, summus Pontifex, sacratissimusque Cæsar nos per sua
dypmata, quorum autographa in medio uidetis, semel atq; iterum in offi-
tio confirmarunt, atq; etiam serio & districtè mandarunt, ut nedum nos in
prisca illa uera & Catholica Religione nostra constantes & immobiles
permaneremus, sed & apud omnes qui nobis ulla ratione cōiuncti essent, idē
ut faciant, diligenter curarem.*

*Horum itaq; summorum Principum autoritate communiti, quod cœpi-
mus apud Reuerendiss. dominum nostrum, maiore cōcepta spe, sedulo ac ma-
xima cum diligentia sumus prosequuti.*

*Verū prohdolor hac tātā nostra diligētia adeo nihil profecimus, ut &
petendo, & interpellādo rem deteriorē potius q̄ meliorē fecisse uideamur,
rebus indies in deterius labentibus, & malo subinde latius serpente.*

Existimantes itaque non diutius ad ista tam grauiam nobis esse commuen-
dum, nisi tamen auitam & Catholicam fidem & Ecclesiam Dei deseruisse,
Apostolica Sedis obediētia excidisse, & sacratis. Caesaris madata con-
tēpsisse censerī uelimus. Tandē extrema prorsus necessitate adacti, ex com-
pluribus iustissimis & æquissimis causis, iure diuino pariter & humano nis-
tētibus, ad utramq; summam potestatem Ecclesiasticam & secularem pro-
uocauimus. Quemadmodum ex instrumēto Appellationis, quod uobis quo-
que praelegetur, intelligetis.

Iam tamen si bona adhuc spes quā prouocarem nos tenuerit, Reuerēdis.
domini nostri libello Appellationis nostrae, mature (ut par erat) consi-
derato, consilia sua mutaturū, nihilominus tamen (quod non sine ingenti ani-
morum merore referimus) tale responsum ad insinuationem Appellatiōis
eiusmodi a sua Reuerēdis. Celsitudine retulimus, ut nisi eandem Appella-
tionem nostram apud summum Catholicam & Vniuersalis Ecclesiae Pon-
tificem & supremum eius aduocatum Caesare legitime prosequamur, actū
plane de ista insigni Ecclesia Colonienſi merito uideatur.

Ergo cum apud nos hoc facere constitutum sit, nisi tamen Reuerēdis.
dominus noster mentem suam commutet in meliorem sententiam. Idcirco in
primis uos, uestraque Capitula & Cōuentus, ac pias domos, Pastores quo-
que intra singulos Decanatus uestrōs rurales cōstitutos, uti nobiscum unius
eiusdemque Ecclesiae & Dioceseos membra, nomine Caesareae Maieſt.
domini nostri clementissimi uigore Imperialis mandati nobis super hoc fa-
cti in domino requirimus & monemus, ne ullis suaſionibus, monitis, seu ius-
sis, saepe memorati Reuerēdis. domini nostri, seu cuiuscūque alterius, quas-
cunq; auctoritate praediti, sinatis uos a uera prisca Christiana & Catho-
lica fide & Religione nostra, ac pijs, ac laudabilibus caeremonijs, & mori-
bus, cultuq; diuino haecenus in sacrosancta Ecclesia Dei laudabiliter fre-
quentato ulla ratione diuelli. Neue permittatis aliquid aduersus eiusmodi
nostram ueram & antiquam Religionem, caeremonias & diuinum cul-
tum haecenus in Catholica Ecclesia obseruatū quouis modo nouari seu at-
tentari. Quin potius ut una nobiscum in commemorata fide & Religione
Catholica, usque ad aliam œcumenicam Concilij generalis, seu praefatae
Caesareae Maieſt. & Catholicorum Imperij Ordinum communi Conſi-
lio adendam Ordinationem constantes & immobiles perseueretis.

Et si quid in uestris Ecclesijs iam forsitan praeuolare & inconsiderate no-
uatum fuerit, id pro uestra uirili tolli, & in statum pristinum, hoc est, Ca-
tholicum, reduci faciatis & procuretis.

Secundo, cū haec Religionis nostrae sacrosanctae causa, sit omnibus Chris-
tianis communis, & praesertim uos & Ecclesias uestras non minus quam
nos contingat, sitisq; proinde corā Deo obstricti & obligati, Ecclesiae Ca-
tholicae unitatem usque ad sanguinem nobiscum defendere. Idcirco uos &
Ecclesias, Monasteria, & pias domos seu Conuentus, quorum nomine ada-
estis. Pastores quoque intra uestros Decanatus constitutos, in Domino ada-
hortatos & requisiti uolumus, uti quoque serio hortamur & requirimus,
ut memorata Appellationi nostrae (ueluti sana membra unius eiusdemq;
corporis decet) adhaereatis, eamq; nobiscum (donec Reuerendiss. dominus
noster ea grauamina ob qua appellatum est, sustulerit) legitime prosequamini,
ad Dei optimi maximi honorem, & suae Ecclesiae, pretioso sanguine fis-
lij sui Domini nostri Iesu Christi comparatae, nostrae matris, defensionem,
& communis Ecclesiastici Ordinis & Status conseruationem.

Hoc quoque speciatim a uobis poscimus, ut hanc propositionem nostram
uestris Capitulis, Conuentibus, pijs domibus, & Pastoribus, intra commemo-
ratos Decanatus, per uniuersam Dioecesim consistentes, fideliter & di-
ligenter exponatis, & curetis ut intra dies quindecim, aut ad summum uin-
ginti, singula Capitula, Conuentus, pia domus, & Pastores, publica In-
strumenta sua factae adhaesionis, nobis huc mittere non praetermittant.


Denique uos & Capitula, Conuentusq; & pias domos, quarum nomine
huc uenistis, ac Pastores commemoratos in Domino commonefacimus, ut
singuli suis officijs Ecclesiasticis, quibus destinati sunt, diligenter incum-
bant, utq; ubique curetur, quo uerbum Dei, & sacrosancta Sacramenta, pu-
re & sincere, secundum Apostolicam & Catholicam traditionem admi-
nistrentur. Adhaec, ut Canonicae preces & laudes Deo, sedulo pie & re-
ligiose reddantur: denique ut mores & uita omnium ad Dominicae praepcepta
& Apostolicam & Ecclesiasticam regulam corrigantur, emendenturq;.
Certe haec si fiant, ut ea fieri est necesse, tum obtinente ueritate & Tradi-
tione Catholica quicquid aliter se habet & ueritatem simulat, insuperabi-
li statui ueritatis obiectum, facile arguetur, & per se cadet. Et quibus nūc


ob segnius administratum officium, & uitam contaminatiorem, omnia (ius
sto Dei iudicio) aduersantur, tum pie colentibus & diligētibus Deum (ue
Apostolus testatur) cooperabuntur in bonum. Si enim (ut idem alibi ait)
nos ipsos diiudicemus, non utiq; iudicemur. Et (ut Apostolici ordinis
culmen inquit) Quis est qui nobis noceat, si boni æmulatores fuerimus?
Quales nos faciat & perficiat qui dat uelle & perficere pro
sua bona uoluntate, Christus Iesus Dominus noster,
benedictus in secula seculorum.
Amen.


Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.


Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.









E
189

XVII

Th
1440a